



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

QVOD FELIX FAVSTVMQVE SIT
DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE

F E V D O

S V B F O R M V L A

Grbuth

Q V A M
S V B P R A E S I D I O
D O M I N I

SIMONIS PETRI GASSERI

POTENTISSIMO REGI BORVSSIAE A CONSILIIS INT
NEC NON BELLICIS ET DOMANIAL. IVRIVM ET RER
OECONOMICO CAMERAL. ANTECESSORIS SCABINA
TVS IN DVCATV MAGDEBVRGICO SENIORIS
ORDINIS IVRECONSULTORVM DECANI

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONOR
CONSEQVENDIS

D. X. IANVAR. clō lo cccxli.

H. L. Q. C.

PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT

A V C T O R

ALBINVS ERNESTVS VLRIC

ADVOC. DRES.

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI ACADEM. ET SENAT. TYPOGR

1910

1910



1910



Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS

D E F E V D O

S V B F O R M V L A :

E r b g u t h

§. I.



Mnem Jurisprudentiam sana Theo-
ria et Praxis prudens constituit. Proo
Vtraque hæc pars sororio vinculo
ita inter se cohæret, vt alterutra destitutus solidi
Jurisconsulti nomen non mereatur. Theoria quip-
pe propter Praxin addiscenda est: atque vicissim hæc

A

sine

sine illa subsistere nequit. Quemadmodum enim illi antiquarum fabularum a Iustiniano in §. 3. Procem Inst. reiectarum censuram incurrunt, qui, sub Theoriæ obtentu, in solos verborum apices, ad ea, quæ in ipsis rerum argumentis obtinent, nihil facientes breuem vitæ summam vtilioribus destinatam impendunt eaque disceptant, quæ vtrum vera sint, an falsa, parum iuuat, minus nocet: ita ex aduerso falso superbiunt Iurisconsultorum nomine, qui sana Theoria, sub prætextu, ne aures perperam quicquam nec inutile percipiant, relicta, leges harumque genuinas rationes et earum, ad obuenientes causas, imprimis in foris Germanicis hodiernis, aptitudinem vna cum analogia iuris atque iis, quæ ipsa negotiorum forensium natura suggèrit, ignorantes, ad fora præparant, aut per cerebrinam æquitatem sibi ipsis nouam formant Iurisprudentiam et ex se fingunt, sicut aranei. Rectius et Theoriæ solidæ et Praxi prudenti debitam navabit operam, qui verus Ictus evadere cupit. Neque illa soli cathedræ alliganda; neque hæc solis foris reseruanda est. Verum, sicuti sine legum rerumque cum iis connexarum cognitione nulla in iudiciis fieri poterit iuris ad facta prudens applicatio: sic sola legum cognitio, quæ prudentia applicandi destituitur, parum proficiet in cathedris,

præ-

præsertim si consideremus, quod non minores, ne dicam maiores difficultates sæpissime premant tam legum ad facta in foris obuia applicationem, quam illarum doctrinam et interpretationem. Optime ergo se habent, qui vtramque viam perficiunt in Iurisprudentia, atque legum eruditionem ad prudentiam applicandi dirigunt. Laudandi sunt, qui hanc parant viam suis Consiliorum, Decisionum et Observationum voluminibus. Nec reprehensione digni, qui casus singulares in Dicasteriis disceptatos in cathedra proponunt ventilandos, adeoque ad iura cognoscenda et ad cognita in usum deducenda manuducunt.

§. II.

Deliberanti igitur mihi de themate Dissertationis inaugurali eligendo, hæ rationes non solum in mentem venerunt, sed etiam iisdem commotus tale præferendum duxi, quod in ipso foro fuit egregie ventilatum, idque eo magis præsentis negotio conuenire videtur, cum ea sit conditionis meæ ac vitæ ratio, vt in Praxi forensi spartam meam pro virili ornem. In præsentiarum autem ad Iurisprudentiam Feudalem dubiorum fertilissimam animum adverti.

Quem enim fugit, quanta ambiguitate non raro laborent ipsa concessionis Feudorum verba atque clientelares literæ? Tanta quippe potissimum in antiquis investituris, deprehenditur sæpius verborum obscuritas, quæ sine dubio ex variis eiusdem vocis significatibus, cum plures res eadem indigitemus notatione, oriri solet, ita, vt in explicatione verbis aliis affingatur sensus, quam qui auctori orationis in animo fuit. Hinc minus erit absurdum, asserere, quod legali interpretatione indigeat Iurisprudentia Feudalis destituta tamen Titulo de verborum significatione, quo Iuris Canonici et Ciuilis Corpora præfulgent. Et sane mirandum, neque vernaculam nostram, alias verborum vberimam, præsertim in notionibus, quas vulgus ignorat, ambiguitate carere, neque eiusdem interpretes vbique inter se conuenire. Ipsum Ius Feudale incertum varias Doctorem dissensus parit ac decisiones causarum feudalium reddit difficiliores. Plurimis rem illustrent exemplis et omnium ferme Iuris Feudalis Consultorum scripta, & quotidiana fori disputatio. Huius tantummodo hac vice mentionem iniiciam, quam variè deprehendantur Doctorem opiniones in definiendis feudis, eorumque qualitate, tam ex ordinario iure quam ex tenore inuestituræ diiudicanda, dum alii

præsumtionibus rerum allodialium nimis favent, vbi alii feuda inveniunt, et alii hanc, alii illam naturam feudorum constituunt. Pertinet huc casus sat dubius, qui haud ita pridem *Parenti meo Honoratissimo, D. ALBINO EHRENFRIED ULRICI, Icto Dresdensi*, in foro disceptandus sese obtulit, quum de prædio sub formula: *Erbguth* concessio contenderetur, num exinde allodium, an feudum sit inferendum, ac si posterius, num feudum absolute hereditarium, an tantummodo secundum quid hereditarium datum sit. Tunc temporis quidem *Pater deuenerandus* aliis concomitantibus circumstantiis, ipsaque pristina observantia suffultus, a partibus ex voce: *Erbguth* allodiale ius inferentium stetit; veniam tamen mihi concessit, contrariam sententiam pro qualitate feudali militantem publice defendendi. Equidem iam minus vacat, totam ac late patentem materiam in hac dissertatione penitus expendere, atque ex Iuris Feudalis Longobardici et Germanici diuersis institutis enucleare, sed tantum ad usum fori Saxonici respiciens, effectum formulæ: *Erbguth*, ratione successionis et transmissionis ad heredes et successores vel paucis exponam. Faxit Deus feliciter!

§. III.

Feudi defini-
tio.

Disquirenti itaque mihi de feudo sub formula *Erbguth*, concessio, ea, quæ ad definiendas res pertinent, erunt præmittenda, adiuncta feudi specierum huc spectantium diuersitate. Miranda quidem est Actorum dissonantia circa feudi definitionem inde nata, quod alius alio sensu feudi vocem sumat, aut illorum, qui eodem in significato definire student quidam cum essentialibus naturalia misceant, atque in his quoque vel pristina saltem primorum feudi initiorum tempora vel quorundam locorum iura minus adæquate respiciant. Sed hæc a multis iam agitata transeo ex solis essentialibus iisque perpetuis feudum *obiectiue* sumtum definiturus, cum thema præsentem hunc significatum potissimum concernat, quo cognito de cæteris significatibus facile constabit. *Ergo igitur feudum res sub nexu fidelitatis, alicui concessa.*

§. IV.

De voce: *Lehn*.

Vox vero Germanica: *Lehn*, procul dubio a *lehen* *leihen*, quod denotat *tradere*, *usum concedere* deriuationem capit, æquiuoca tamen et non solum, præter verum feudum, multis fendastris seu prædiis feudo vicinis et affinibus, utpote *Erbzins-Lehn*, *Schupff-Lehn*

ac ipsis allodiis, sed etiam mutuo, commodato et locato communis, nec ideo ex solo vocabulo: **Lehn** verum feudum inferendum esse videtur, cum potius vera feuda a prædiis feudo affinibus discernere soleant formulæ clientelares: **zu einem wahren, rechten Lehn**, interim tamen secundum vsum iuris patrii, **Lehn**, sine additamento, in sensu eminentiori feudi: synonymum sæpius habetur & bonis a fidelitatis Vassaliticæ nexu liberis opponitur. *vid. ILLUSTR. DN. CANCELLAR. DE LVDEWIG Iura Feudorum Romani Imp. C. 3. Qu. 1. EIVSDEM Ius Clientelare. Sect. I. c. 3. §. 5. lit. L.* Veri autem feudi oppositum est allodium.

§. V.

Hoc plerumque per id, quod pleno iure domini, seu secundum Romanum dicendi genus, quod De allod voce: **Erbguth** optimo iure possidetur, definitum legimus, sed, cum opposita iuxta se posita magis elucescant, feudi definitione iam præmissa, patet, quod allodium sit quælibet res, quam quis citra nexum fidelitatis habet, et Germanis dicitur **Erbe, Eigen, Frenguth, Frißbon**, *ILLUSTR. DN. de LVDEWIG Iur. Feud. C. 3. Q. 1.* Olim autem allodia æque vt **Erbe, Erbguth,**
an-

angustiore habuerunt ambitum, cum ex origine su-
 tantummodo denotauerint bona a maioribus iure here-
 ditatis acquisita et sic ad posteros hereditatis iure ite-
 rum transmittenda, quæ alias dicuntur bona avita, pa-
 terna, hereditaria, genearchica, gentilitia, familiaria
 truncalia, et in vernacula Stamm: Gûther, Erb-
 Stamm: Geschlechts-Gûther. Quicquid vero ipsi
 possessor, sibi comparauerat, vulgo sub nomine *errun-*
gen Guth, wohlgewonnen Guth, veniebat. Gallis ac-
 quets vel conquets. Postea tamen allodium non solum
 bona hereditaria sed etiam nouiter acquisita, adeo-
 que omnia in dominio, a fide et pensatione liberi
 existentia, denotabat, vnde distingui cœpit in alod
 naturale et comparatum, item alodes de hereditate
 et de conquisto. *confer.* HIERONYM. BIGNON. *in*
not. ad Formulas MARCVLFI Lib. I. c. 2. § 12. DU FRESN
sub voce: Alodis. Quare eadem ratio est terminorum
 Eigen, Erbe, Erbguth. Nec sine exemplo au-
 inuita vocum natura tandem his verbis omnes re-
 propriæ indigitantur, nam et veteres Romani here-
 des pro dominis appellabant et pro herede gerere, i-
 lis est pro domino gerere. §. 7. *I. de hered. qualit. et di-*
fer. l. 41. ff. ad L. Aquil. Mitto, Saxonibus aliisque
 Germanis Erbe non raro audire res immobiles. Vnde
 præter citatos, WEHNER. *Obs. Pract. voc. Erbguth*
 Erblid

Erblich. COTHMANN. *Cons. 40. n. 3.* BEYERI *Ius Germ. L. 3. C. 17. §. 2.*

§. VI.

Hinc quidem efficitur, vt **Erbguth** in sensu Specia
voce:
gu proprio hodierno significet res a feudalis fidelitatis nexu liberas, quæ aut hereditatis iure ad nos perueniunt, aut hereditatis iure a nobis ad alios transmitti possunt, quarum heredes **Land: Erben**, feudi vero successores **Lehns: Folger** audiunt. Attamen vsus verborum tyrannus sæpius vocabula a sensu proprio, maxime pro temporum et locorum diuersitate deflectit. Hinc, postquam feuda successiua facta, et de vero feudo **Erbe** et **Erben** prædicari, inuenies. Vsu iam venit distinctio in **Land: Erben** et **Lehn: Erben** vel in **Erbe zu Land: Recht** et **Erbe zu Lehn: Recht**, vti apparet ex *Specul. Saxon. L. I. art. 4. 5. §. 9.* HARTM. PISTOR. *L. 2. Qu. 3. n. 66.* Quid ergo mirum, idem contingere vocabulo **Erbguth** et hoc feudo tributum deprehendi? Caue itaque, ne statim ex inde allodium inferas, et sic in Saxonia reprehensionem D. AVGVSTI ELECTORIS in dem **Torgauischen Ausschreiben** de anno 1583. incurras.

§. VII.

In aprico enim est, licet successio in feudis iam Differ
feudi et
essenti diu inualuerit, magnum tamen discrimen intercede.

re inter feudum et allodium, tam intuitu essentialium quam naturalium. Ad feudi scilicet essentiam necesse est vt res propter fidelitatem præstandam concedatur, ad eoque obligatio ad fidelitatem finis sit primarius feudi concedendi. In quo autem fidelitas feudalis consistat, vide sis IOH. HENRICI BERGERI *Diff. de Feud. de Vasallatica*. Sed hæc omnia secus in allodio, in quo possessor immunitate nexus fidelitatis gaudet nisi quem subiectio imperii ciuilis efficit *Subditi per fidelitatem personam eius adficit; Vasalli, rem in feudum dantur tam, concinne ait Illustr. Dn. DE LVDEWIG Iur. Feud. C. I. Qu. 6.* In hac concessione rei propter fidelitatem consistit feudi formalis ratio, qua salua, feudum verum, qua deficiente, allodium existit.

§. VIII.

Differentia
feudi et allodii
in naturali-
bus.

Plura circa naturalia feudi et allodii sunt discrimina. Ad illa inprimis referuntur iuramentum fidelitatis, seruitia feudalia, das *Rehn treulich zu verdienen*, renouatio inuestituræ, restricta facultas de feudo disponendi aliaue ex indole feudi, oriunda quæ regulariter inesse intelliguntur, per leges formatas ad id, quod plerumque circa feuda fieri solet. Contrariam autem obseruabis allodiorum natu

natu

naturam, ipsam scilicet rem libera mliberamque eiusdem dispositionem.

§. IX.

Præcipue autem diuersa in feudo et allodio successio, ^{Differere in successione feudali et allodiali.} tum de iure communi, tum de iure Saxonico, est notanda. Præterquam enim, quod extranei, fœminæ, cognati, imo agnati a primo acquirente legitime non descendentes, successionis feudalis sint exsortes, secus ac in successione allodiali, inter ipsos agnatos collaterales a primo acquirente oriundos, ordo et modus succedendi insigniter differt. Saltem ex iure Saxonico constat, collateralium licet agnatorum nullam esse successionem, nisi ex simultanea inuestitura, adeoque graduum prærogatiuam non attendi, nisi simultaneæ inuestituræ adiecta sit clausula: *Nach rechter Sippzahl.* STRVV. *Iurisprud. Feud. C. 14. §. 5. et 6.* nec non hoc casu fratrum liberos gaudere iure repræsentationis indeque admitti vna cum vltimi possessoris fratre, a quo tamen in successione allodiali excluduntur secundum vulgare illud: *Je näher zur Sipp-schaft, je näher zur Erbschaft.* Id ipsum post *Specul. Sax. L. 1. art. 13. et 17.* satis clare sancitum est in *Electoreatu Saxonix per Constitut. XVIII. Part. III. verbis:*

Wir wollen aber *rc. et Constit. XXIX. Part. III.* n. æquitatis ratione destituitur, cum frater prædefunctus ex inita simultanea inuestitura ius nactus sit in filios suos transmittendum. *CARPZ. III. C. XXIX. Def. 1. et 2. HARTM. PISTOR. P. 2. Q. 23. n. 27. § 8.*

§. X.

De Fendo et
Allodio im-
proprio.

Regulariter quidem naturalia inesse ac præferri
§. VIII. accepimus, neque tamen perpetua, neque
perpetuam rei essentiam ingredientia iudicanda, sed
rei substantia adhuc salua, mutabilia sunt, adeo,
partim vna cum lege pro temporum et regionum rati-
one, partim quoque pactis specialibus inter parti-
cipantes, variant. Diuersæ inde qualitates accidentales
feuda atque allodia efficiunt impropria variasque
ipsorum species producunt. Sic plura dantur allodia,
quæ ad feudorum indolem inclinant, et nomen
feudastrorum seu prædiorum feudis affinium merentur,
quorum maxime spectant diuersi generis prædiorum
censitica antiqua. De quibus consulas *ILLVSTR. DN. PRÆSIDEM in Prælectionibus ad Cod. sub tit. de Iur. Episcop. et Cler. §. 11. et de Iur. emphyteut. §. 7. sequ. ubi*
totam hanc doctrinam apprime illustrauit ex *Cod. de*

antiquo, quem primus communicavit, *Juris Latonici*. Sine dubio enim iura pristina censitica admodum differebant a modernis et primam materiam feudalem suppeditabant quoad personas iudiciales, locum in Curte, vel ipsum modum tractandi, nec sententia ferri poterat, nisi a duabus personis singularis illius iuris censitici peritis, vulgo *Tinsgenoten*, cum quibus, si pares curiæ comparare velis, non multum errabis. Postquam vero Ius Romanum, omne fere et æquissimum Ius Germanicum obumbravit, Iurisconfulti quidam omnia fere feudastra reduxerunt ad ius emphyteuticum, moribus Germanicis perperam cum Iure Romano commixtis. Ex aduerso, si ad feudum respiciamus, hæc sæpius indolem allodii quodammodo sapit, unde vulgo improprium audit, quatenus scilicet ex naturalibus vel quoddam remittitur, vel ultra eadem tale quid conceditur, quod vi ordinariæ qualitatis feudalis minus competit, cuiusmodi feudum tamen potius degenerans et irregulare dicendum.

§. XI.

Ex remissione autem naturalium feudalium, quot et quænam impropriorum feudorum generantur, Iuris feudalis interpretes fusius docent, quare, pro instituti mei ratione, illam saltem speciem cu-

De Feudalibus
proprio
dicitur
Lehn, Et
hereditas

ro, quæ dicitur *Erbguth*, *Erblehn*, et conceditur Vasallo zu einem rechtem Erbe, *Erbguth* oder *Erblehn*, vor sich seine Erben und Erbnehmen, unde quæ es solcher *Erbgüther* Art und Eigenschaft ist, a si quæ aliæ sunt inuestituræ eiusdem generis formulæ. Inter omnes fere constat, his verbis indigitur *feudum hereditarium*: Quid autem hoc quoad effectum sibi velit, adeo controuersum est, ut IO. COSALVVS *Tract. Feud. C. 5. n. 89.* putauerit, optimum esse, in hac materia iudicem habere favorabilem beneuolum, qui eam, quam velit, sententiam eligere, quin imo amico gratificari possit. Sed haud carentur litis decidendæ rationes, nec, iis rite initiis, iudicis uore iudicis indigebimus, quamuis cæteroquin confusio circa feuda hereditaria et formulam: *Erbguth* curren-tes haud exiguis dubiis sint innoluti, tam propter ambiguitatem vocis, quam propter species et distinctiones, quæ inter feuda mere hereditaria, mixta hereditaria, et ex pacto et prouidentia plerumque traduntur, quibus accedunt dubiæ ac incertæ illæ formulæ, ex quibus solis sæpius distinctiones feudi hereditarii diiudicantur. Mihi, si licet, feudum siue formula: *Erbguth*, concessum, videtur quidem feudum hereditarium in genere sic dictum, quod tamen men mox respectu personarum succedentium, m

respectu modi succedendi, mox respectu dispositionis ad ius allodiale inclinatur. Huic feudum ex pacto et providentia merito opponitur, quod tamen pro singulari feudi specie non agnoscimus, cum iure sanguinis a primo acquirente et ordine succedendi feudali in Vasallum deoluatur hacque ratione feudum proprium ac ordinarium sit. *vid. HORNII Dissert. de Testamentar. patris circa feud. disposit.* Feuda vero Germanica die adelichen Stamm-Lehne pacto et providentia primi acquirentis non indigent quoad successionem, sed pro gentilitiis habentur, so dem ganzen Stamme angehören, adeoque omnes, qui iisdem utuntur insignibus, die gleichen Schild und Wappen führen, ad successionem admittuntur, nec opus est successoribus probare, se esse descendentes primi investiti, sed sufficit sola origo ex eadem gente ac stirpe, cuius argumentum insignia præbent. Oblatio enim antiquorum prædiorum gentilitiorum non auferebat successionem cæteris de eadem gente. Exempla exhibet Pomerania. His in transitu monitis, feudum **Erbguth** seu hereditarium respiciamus. Huius quidem variæ species dantur, v. g. alienabile, testabile, certi quid tamen circa istas vix constitui potest, cum ambigua verborum: **Erbe, Erben, Erbschaft, Erbguth**, significatio hoc saltem suadeat,

deat, vt pro qualitate caularum obuientium r
diudicetur.

§. XII.

Qualitas feu-
dorum diudi-
canda ex inue-
stitura.

Maximum momentum diuersitatem specieru
feudi sub formula: *Erbguth*, nec non in genere qu
litates feudi in causis obuiis discernendi, affert inuef
tura. Hæc an latina sit, dubitatur. Latinis eni
olim inuestis dicebatur, qui sine veste erat, vno
impueres inuestes, imo et imberbes ita nominat
uti aurea vestis appellabatur barba:

Tunc mihi prima genas vestibat flore iuuenta.

vid. SERV. n 8. *Aneid.* et NON. cap. I. Inuestire v
ro secundum PLINIVM et SENECAM idem era
quod ornare. Nec improbabile est, inuestituras d
notasse singularem quandam vestem cum cingulo of
ciariorum. Vt plurimum tamen ipsa inuestitura sum
batur pro traditione et actuali missione in possessi
nem, quæ variis adhibitis symbolis fiebat, et ip
contractus de feudo conferendo initus, inuestitur
nomine venit, nec non literis clientelaribus vox i
uestituræ applicatur. Hæ originem traxisse vide
tur a feudastris mediæ æui, vti optime coniicit *Illust*
Dn. PRAESES in Præl. ad Codic. cit. loc. quorsum etiam

faciunt *Leges Alemann. Tit. 19.* sequentem in modum cauentes: *Res ecclesie de laicis absque charta nullus præsumat possidere.* Quo magis autem inualuerunt literæ inuestituræ hodiernis moribus, eo minus dubitandum, quin ex ipsis earumque tenore qualitas feudi sit cognoscenda, 2. F. 18. GAIL. L. 2. Obs. 50. n. 15. SCHRADER *de Feud. P. 5. c. 2. n. 30.* cum instar pactorum sint, quæ legem dant contractui, & firmissima probationis argumenta suppeditant, quare et in definienda qualitate feudi hereditarii *Erbguth*, ad inuestituram recurrendum, qua inspecta, qualis eiusdem sit modus et effectus, luculenter apparebit.

§. XIII.

Quod si tamen circa literarum inuestituræ intellectu dubia adhuc occurrant, adhibenda est interpretatio, eaque vel legalis, vel, hac deficiente, ad regulas hermenevticas, analogiam iuris, et obseruantiam fori applicata, attentis infimul feudalibus præsumtionibus. Qua in re valent regulæ: verba intelligenda esse secundum cuiusuis linguæ genium; pro more regionis et temporis; in significato tecnico

nico, pro substrata materia; ex ordine antecedentium et subsequentium; ex ratione finali; ita, ne iura aut pacta singularia in præiudicium tertii extendantur etc. Sic facta non præsumuntur; res vero in pristino statu remansisse censetur; ius patrium excludit peregrinum; ius commune et regula ordinaria contra exceptionem attenditur; naturalia rei, adeoque feudo regulariter insunt: feudum in vno improprium, in reliquis retinet naturam feudi proprii, et quæ sunt reliqua.

§. XIV.

Applicatio ad
feudum *Erb-*
guth, seu hereditarium.

Hæc si applicaueris ad formulam: *Erbguth*, et ipsam concessionem, quantum iuris vasallo eiusve successoribus sit indultum, facili negotio colliges. Feudum enim antea proprium, licet immutatum et concessum *als ein Erbguth*, minime induit naturam allodii, quicquid disponendi iuris Vasallo sit relictum, WERNHER. P. I. Obs. 220. neque naturalia, nisi quatenus ex disertis verbis constat, remissa, sed potius cum essentia feudi, ubique salua remansisse præsumuntur, ita, vt ne vnguem quidem latum a tenore inuestiturae sit recedendum, quod multis explanant, DD. ad c. 1. Tit. *Quæ fuit prim. caus.*

amit.

mitt. benef. Ipsæ literæ clientelares variaque in iisdem expressa feudi naturalia, vtpote seruitia, renouatio investituræ, iuramenti fidelitatis præstatio, præsumptionem feudalem suffulciunt, idque eo magis, si ex instrumento concessionis, essentia feudi, scilicet obligatio ad fidelitatem appareat. HARTMANN. PL. STOR. *Obs.* 174. n. 4. Ne dicam, ex præsumptione contraria pro allodio, simultanee inuestitis præiudicium inferri, et ius ex simultanea inuestitura quæsitum, ipis inuitis interuerti, quod tamen nulla alia ratione, nisi per literas reuersales, restringi potest.

§. XV.

Inuestitura quem soli feudo minime propria, Dubium
 sed et in multis Germaniæ locis, allodiis præuia resignatione iudiciali accedit. CARPZ. P. 1. *Const.* 28. *Def.* 21. MEV. *ad Ius Lubec.* L. 3. tit. 6. art. 1. quin imo quoad Saxoniam, ex interpretatione summi Legislatoris D. AVGVSTI Septemviri, verbum: Erbguth solis allodiis competere videtur, per verba in dem Torgauischen Ausschreiben: Indem esliche alleine auf die Eigenschafft und Proprietät des Wortes, Erben, sehen, und dadurch so weit kommen, daß

sie Kraft derselben den Lehn-Güthern ihre eigene Art und Natur entziehen, und fast einem Erbguth vergleichen. Formulæ quoque literis inuestituræ insertæ: Erbgangs-Recht, rechter Sippzahl, Erbbrüder, Eigenthum, rem dubiam reddere, atque in allodiale inferre possent. Sed cessant dubia. Inuestitura enim, quæ ad allodia profertur, neque fit domino rei tradendæ, neque propter fidelitatem, quæ soli feudo competit, atque in allodio exulat, quare ex eiusmodi instrumento ductum argumentum, ad demonstrandam rei allodialis qualitatem haud sufficit. Aliud enim est in Lehn reichen, aliud zu Lehn verleihen, belehnen, illud circa adiudicationem allodialium, hoc vero in concessione feudorum attendimus, et ex tenore literarum obseruamus. Hinc ex connexa interpretatio instituenda. Ad hæc, quod textus citati loci des Torgauischen Ausschreiben attinet, menti Legislatoris potius, quam verbis inhæreamus, quippe qui hoc tantum voluit, vt opinione DDrum ex proprietate vocis: Erben, allodium inferentium eorumque argumenta refutaret, quorsum ipsa verba se referunt, sicque non pro dispositiuis sed pro enunciatiuis sunt habenda. Neque ex textu apparet, quod Erbguth essentiæ feudi opponatur, sed per verba: ihre eigene Art tantum differentia feudi

di proprii et improprii et mutatio naturalium indigitatur. Ex vsu ergo **Erbguth** de feudo prædicari, et hac formula improprietatem quandam indicari, antea diximus, quo posito, in huius explicatione a sensu vulgari recedendum, ratione substratæ materiæ feudalis habita, præsertim, cum **Erbe** nihil essentialibus feudi detrahat, sed prout feuda admittunt, accipiendum sit. 2. *F. 17. et 18.* Idem prorsus ferendum est iudicium de verbis: **Erbbrief, Erbgangs-Recht, Sippszahl.** Nec in contrarium movent voculæ: **Eigen, Eigenthümlich,** quæ quidem comprehendunt dominium, sed neutiquam plenum et a nexu fidelitatis immune, vasallum enim utili dominio frui, liquet. Tandem, etsi per literas investituræ vasallo expresse concessa sit potestas, tam inter viuos quam mortis causa de prædio libere disponendi, tamen neque allodium exinde inferendum, neque naturalia penitus immutata censenda, cum eiusmodi relicta facultas non ingrediatur essentiam feudalem, nexum scilicet fidelitatis, faluis quoque in non expressis, naturalibus.

§. XVI

Patet iam, prædium sub formula: **Erbguth** De successu in feudo **Erbguth** concessum, esse feudum, nec non feudum proprium

mutatum in *Erbguth* retinere substantiam feudalem. Sed quænam obtineant circa successionem, ad hæc sunt indaganda. Intuitu enim personarum successionem quæritur: An fœminæ, an heres testamentaria admittantur? Multi Actorum hoc in feudo hereditario *Erblehn* concedunt, quare idem forte in feudo sub formula: *Erbguth* asserendum videtur, in destruenda hac opinione iam STRUVIVS cum aliis, quos citat, in *S. I. F. C. 4. aph. 13.* et *Semicentur. Obs. de Feud. heredit. Obs. 3. sequ.* operam adhibuit, quam illa, qua usus est, distinctio inter feudum absolute et secundum quid hereditarium, minus sufficiat ad diiudicandas varias species feudorum hereditariorum. plerumque enim in applicatione, quale sit feudum absolute, aut secundum quid hereditarium, et quousque hoc se extendat, dubium mouetur. Optime est determinanda ex iis, quæ continent literæ investituræ. Sic sine dubio fœminis data successio pex expressa verba: *Söhne und Töchter, beyderley Geschlechter ohne Unterscheid des Geschlechts.* Et ad extraneos testamento transferre feudum licet, si clausula adiecta *durch letzten Willen über die Lehns-Folge zu disponiren und Verordnung zu thun.* In dubio vero inherendum potius ipsis naturalibus feudi, quare in Germania voces: *Erben und Erbnehmen, Erben* quæ

guith, Erblehn, Nachkommen, Eigenthum, nec hereditibus testamentariis successionem tribuunt. Quicquid enim in iure Romano denotat heres, id tamen de verbis **Erben Erbnehmen** dici nequit, maxime in feudis, ubi **Erbe** regulariter idem est, ac **ehelicher Leibes-Erbe** et **Lehns-Erbe**. Neque sola vox **Erbe** improprietaem innuit, sed deficiente clara hominis dispositione, successio legem eiusque providentiam sequitur, adeoque respectus personarum succedentium ex solo iure Feudali iudicatur. Neque sub **Erbnehmen** et **Nachkommen** alii, quam gentilitii heredes intelliguntur. *Adde WEHNER. Observ. Pract. voc. Erben, Erbnehmen STRVV. cit. loc.* Hinc in dubio foeminae vel plane excluduntur vel tantum in subsidium pro diuersitate casuum succedunt, ius ex simultanea investitura quaesitum saluum remanet; iuris vero cognationis nulla habetur ratio; potestas quoque inter viuos de feudo disponendi, ad facultatem testandi non extenditur.

§. XVII.

Colligitur inde, quis ordo, quæue prærogativa inter collaterales, in feudum **Erbguith** succedentes obtineat. Licet enim, mutatione feudi proprii

De ordine succedendi in collaterale iur. Saxon

nico, pro substrata materia; ex ordine antecedentium et subsequentium; ex ratione finali; ita, ne iura aut pacta singularia in præiudicium tertii extendantur etc. Sic facta non præsumuntur; res vero in pristino statu remansisse censetur; ius patrium excludit peregrinum; ius commune et regula ordinaria contra exceptionem attenditur; naturalia rei, adeoque feudo regulariter insunt: feudum in vno improprium, in reliquis retinet naturam feudi proprii, et quæ sunt reliqua.

§. XIV.

Applicatio ad
feudum Erb-
guth, seu he-
reditarium.

Hæc si applicaueris ad formulam: **Erbguth**, et ipsam concessionem, quantum iuris vasallo eiusue successoribus sit indultum, facili negotio colliges. Feudum enim antea proprium, licet immutatum et concessum **als ein Erbguth**, minime induit naturam allodii, quicquid disponendi iuris Vasallo sit relictum, WERNHER. P. 1. Obf. 220. neque naturalia, nisi quatenus ex disertis verbis constat, remissa, sed potius cum essentia feudi, ubique salua remansisse præsumuntur, ita, vt ne vnguem quidem latum a tenore inuestiturae sit recedendum, quod multis explanant, DD. ad c. 1. Tit. *Que fuit prim. caus.*
amit-

amitt. benef. Ipsæ literæ clientelares variaque in iisdem expressa feudi naturalia, utpote seruitia, renouatio investituræ, iuramenti fidelitatis præstatio, præsumtionem feudalem suffulciunt, idque eo magis, si ex instrumento concessionis, essentia feudi, scilicet obligatio ad fidelitatem appareat. HARTMANN. PL. STOR. *Obs.* 174. n. 4. Ne dicam, ex præsumptione contraria pro allodio, simultanee inuestitis præiudicium inferri, et ius ex simultanea inuestitura quæsitum, ipis inuitis interuerti, quod tamen nulla alia ratione, nisi per literas reuersales, restringi potest.

§. XV.

Inuestitura quem soli feudo minime propria, Dul
 sed et in multis Germaniæ locis, allodiis præuia resignatione iudiciali accedit. CARPZ. P. 1. *Const.* 28. *Def.* 21. MEV. *ad Ius Lubec.* L. 3. tit. 6. art. 1. quin imo quoad Saxoniam, ex interpretatione summi Legislatoris D. AVGVSTI Septemviri, verbum: *Erbguth* solis allodiis competere videtur, per verba in dem Torgauischen Ausschreiben: *Indem ekliche alleine auf die Eigenschaft und Proprietät des Wortes, Erben, sehen, und dadurch so weit kommen, daß*

sie Kraft derselben den Lehn-Güthern ihre eigene Art und Natur entziehen, und fast einem Erbguthe vergleichen. Formulæ quoque literis inuestituræ insertæ: Erbgangs-Recht, rechter Sippzahl, Erbbriefe, Eigenthum, rem dubiam reddere, atque ius allodiale inferre possent. Sed cessant dubia. Inuestitura enim, quæ ad allodia profertur, neque fit a domino rei tradendæ, neque propter fidelitatem, quæ solifeudo competit, atque in allodio exulat, quare ex eiusmodi instrumento ductum argumentum, ad demonstrandam rei allodialis qualitatem haud sufficit. Aliud enim est in Lehn reichen, aliud zu Lehn verleihen, belehnen, illud circa adiudicationem allodiorum, hoc vero in concessione feudorum attendimus et ex tenore literarum obseruamus. Hinc ex connexis interpretatio instituenda. Ad hæc, quod textum citati loci des Torgauischen Ausschreiben attinet, menti Legislatoris potius, quam verbis inhæreamus, quippe qui hoc tantum voluit, vt opiniones DDrum ex proprietate vocis: Erben, allodium inferentium eorumque argumenta refutaret, quorsum ipsa verba se referunt, sicque non pro dispositiuis, sed pro enunciatiuis sunt habenda. Neque ex textu apparet, quod Erbguth essentia feudi opponatur, sed per verba: ihre eigene Art tantum differentia feudi

di proprii et improprii et mutatio naturalium indigitatur. Ex usu ergo **Erbguth** de feudo prædicari, et hac formula improprietatem quandam indicari, antea diximus, quo posito, in huius explicatione a sensu vulgari recedendum, ratione substratæ materiæ feudalis habita, præsertim, cum **Erbe** nihil essentialibus feudi detrahat, sed prout feuda admittunt, accipiendum sit. 2. F. 17. et 18. Idem prorsus ferendum est iudicium de verbis: **Erbbrieff**, **Erbgangs-Recht**, **Sippzahl**. Nec in contrarium movent voculæ: **Eigen**, **Eigenthümlich**, quæ quidem comprehendunt dominium, sed neutiquam plenum et a nexu fidelitatis immune, vasallum enim vtili dominio frui, liquet. Tandem, etsi per literas investituræ vasallo expresse concessa sit potestas, tam inter viuos quam mortis causa de prædio libere disponendi, tamen neque allodium exinde inferendum, neque naturalia penitus immutata censenda, cum eiusmodi relicta facultas non ingrediatur essentiam feudalem, nexum scilicet fidelitatis, saluis quoque in non expressis, naturalibus.

§. XVI.

Patet iam, prædium sub formula: **Erbguth** concessum, esse feudum, nec non feudum proprium

De Successione
in feudo
Erbguth

mutatum in **Erbguth** retinere substantiam feudalem. Sed quænam obtineant circa successionem, adhuc sunt indaganda. Intuitu enim personarum succedentium quæritur: An fœminæ, an heres testamentarij admittantur? Multi Actorum hoc in feudo hereditario **Erblehn** concedunt, quare idem forte in feudo sub formula: **Erbguth** asserendum videtur, sed in destruenda hac opinione iam STRUVIVS cum aliis, quos citat, in *S. I. F. C. 4. aph. 13. et Semicentur. Observ. de Feud. heredit. Obs. 3. sequ.* operam adhibuit, quamvis illa, qua usus est, distinctio inter feudum absolute et secundum quid hereditarium, minus sufficiat ad diiudicandas varias species feudorum hereditariorum: plerumque enim in applicatione, quale sit feudum absolute, aut secundum quid hereditarium, et quousque hoc se extendat, dubium mouetur. Optime res est determinanda ex iis, quæ continent literæ investituræ. Sic sine dubio fœminis data successio pex expressa verba: **Söhne und Töchter, beyderley Geschlechter ohne Unterscheid des Geschlechts.** Et ad extraneos testamentario transferre feudum licet, si clausula adiecta **durch letzten Willen über die Lehns-Folge zu disponiren und Verordnung zu thun.** In dubio vero inhærendum potius ipsis naturalibus feudi, quare in Germania voces: **Erben und Erbnehmen, Erbguth**

guth, Erblehn, Nachkommen, Eigenthum, nec heredibus testamentariis successionem tribuunt. Quicquid enim in iure Romano denotat heres, id tamen de verbis **Erben Erbnehmen** dici nequit, maxime in feudis, ubi **Erbe** regulariter idem est, ac **ehelicher Leibes-Erbe** et **Lehns-Erbe**. Neque sola vox **Erbe** improprietatem innuit, sed deficiente clara hominis dispositione, successio legem eiusque providentiam sequitur, adeoque respectus personarum succedentium ex solo iure Feudali iudicatur. Neque sub **Erbnehmen** et **Nachkommen** alii, quam gentilitii heredes intelliguntur. *Adde WEHNER. Observ. Pract. voc. Erben, Erbnehmen STRVV. cit. loc.* Hinc in dubio foeminae vel plane excluduntur vel tantum in subsidium pro diuersitate casuum succedunt, ius ex simultanea inuestitura quaesitum saluum remanet; iuris vero cognationis nulla habetur ratio; potestas quoque inter viuos de feudo disponendi, ad facultatem testandi non extenditur.

§. XVII.

Colligitur inde, quis ordo, quæue prærogati-
ua inter collaterales, in feudum **Erbguth** succeden-
tes obtineat. Licet enim, mutatione feudi pro-
prij

De ordin
cedendi
collater
Iur. Sax

prii in *Erbguth* facta, Vasallo testandi facultas sit relicta, aut illi, qui alias successuri non fuissent, sint admissi, nihil secius ordo iuris feudalis observandus ac effectus differentiae inter successionem allodiam et feudalem in eo potissimum quoad Saxoniam exserit, quod fratrum liberi, cum fratre superstite concurrentes, iure representationis gaudeant, per *CONSTIT. ELECTOR. SAXON. XVIII. et XXIX. Part. III. ibique CARPZOV.* Vt superioribus rationibus haud indigemus, firmis iam traditis regulis, de ea, quam sequimur, interpretatione literarum investiturae. Stricte scilicet concessionis verba sunt accipienda, ita, ut exceptio firmet regulam in casibus non exceptis. *arg. L. 12. §. 43. ff. de fun. instruct.* Hoc saltem addo, quod ipsa simultanee investitura inferat successionem iuris feudalis cum iure representationis, vi cuius ad exemplum agnatorum simultanee investitis successio permittitur. *CARPZ. L. Resp. 77.*

§. XVIII.

Casus specialis:

Liceat facti istius speciem, cuius §. II. mentionem feci, ad rem illustrandam adicere. Feuda scilicet M. et N. quondam masculina et propria ad preces possessoris, qui tunc erat H. S. Z. immutata erant in

Erbguth

Erbgüther seu **Erblehn**, vt non solum masculis, sed etiam foeminis successio; Vafallo vero facultas disponendi tam inter viuos quam mortis causa competeret, his verbis literarum clientelarium conceptis: Wir von Gottes Gnaden ꝛc. thun kund, daß wir N. seinen Erben und Erbnehmen männlichen und weiblichen Geschlechts nachbeschriebene Lehn und Güther, zu einem rechten Erblehn gnädiglich gereicht und geliehen ꝛc. item: Obwohl der Hochgebohrne Fürst, Christian der andere, Herzog und Churfürst zu Sachsen ꝛc. vorigen Besitzern obberührte Güther zu Mannlehn verliehen; So haben iedoch unsers in Gott ruhenden HERN Vaters Gnaden auf unterthänigstes Ansuchen ꝛc. denselben Güthern allen nunmehr die Art und Eigenschaft des Mannlehns benommen, und sie zu einem rechten Erblehn gemacht ꝛc. porro: und wollen, daß solche Güther von nun an vor Erbgüther geachtet, gehalten, nach Erbgangs-Recht verfället, auch in allen Gerichten davor erkannt werden und ihnen davon zu disponiren und Verordnung zu thun, unbenommen seyn solle, inmassen Wir sie obgedachten N. seinen Erben und

Erbnehmen, männlichen und weiblichen Ge-
 schlechts auch damit als mit rechten Erbgü-
 tern belehnen ꝛc. reichen und leihen ermeldeten
 seinen Erben und Erbnehmen, obgenann-
 Güther hiermit und kraft dieses Brieffes, diese
 ben hinführo zu rechten Erblehn inne zu haben
 zu besitzen, zu geniessen, und zu gebrauchen, sich da-
 mit, wie rechter Erbgüther Recht und Ge-
 wohnheit ist, zu verhalten und ohne männliche
 Einrede, als ihren eignen Güthern allenthalbe
 zu gebahren ꝛc. Jedoch Uns an unsern Nem-
 tern, Diensten, Steuern, Folgen, und ander-
 Unsern Landes-Fürstlichen Berechtigkeiten unschät-
 lich und unnachtheilig, und daß sie nichts minder
 als zuvorn, solche Erbgüther, so oft sie zu Fall
 kommen, von Uns und Unseren Nachkommen in
 Lehn empfahen und dieselben Güther dem Herkom-
 men nach verdienen sollen. item: Geben ihm
 Macht und Gewalt, solche Güther zu verkauffen
 zu verpfänden, zu versetzen und seines Gefallens da-
 mit zu gebahren, unersucht und ohne Einwilligung
 seiner Mitbelehten Schwester und deren Erben ꝛc.
 Successu temporis feuda illa sub eadem qua-

litate translata in alium Vasallum C. G. B. Hic anno 1729. intestatus et absque prole decedens, fratrem vnicum C. A. B. & ex altero præmortuo fratre filios superstites C. G. B. et H. C. B. proximos agnatos reliquit. Ultimi possessoris frater C. A. B. fretus Iuris Saxonici communis dispositione, qua ius repræsentationis in linea collateralis exulat, ac ratus, successionem in feudum Erbguth, ad normam allodiorum æstimandam esse, solus possessionem feudorum, exclusis fratrum liberis, petiit, acquisiuit, occupauit, impetrato insuper documento, quod audit der Lehn-Schein, hac forma concepto: den 3. Novembr. 1729. ist C. A. B. auf vorige Pflicht, gegen einen Handschlag, welchen N. krafft überreichter Vollmacht, desselben wegen gethan, mit seines verstorbenen Bruders C. G. B. hinterlassenen und auf ihn verfallten Erbgüthern B. und N. samt deren Zugehörungen, besage der Erbbrieffe beliehen worden. Non obstante vero inuestitura, fratris liberi C. G. B. et H. C. B. successionem feudalem iusque repræsentationis vrgebant dimidiamque partem prædiorum appetebant, quo factum, vt partes inter se de successione controuerfarentur ac sensum literarum inuestituræ, nec non significationem vocis: Erbguth

simode et quælibet in sui fauorem disputarent. Quæritur inde, quo iure vtendum?

§. XIX.

Neutiquam et in hoc casu effectum Iuris Feudalis impediri, sed cum vltimi possessoris fratre C. A. B. fratris liberos C. G. B. et H. C. B. in isto feudo ex iure repræsentationis admittendos esse, applicatis iis, quæ præmissa sunt, rationibus, firmiter concludimus, a qua successione tamen, vti supra monitum, si feudum plane in allodium mutatum fuisset, excludendi, non quidem Iure Saxonico antiquo, sed moderno. Tempore enim Ottonis I. prout refert WITICHINDVS seu WINDECHINVS *monachus Corbeiensis Libr. II. de reb. gest. Saxon.* SCHILTER. *Ex 41. §. 59.* acriter disceptata est hæc controuersia, ita quidem, vt Imperator ex omnium Principum sententia cognitionem veritatis commiserit iudicio gladiatorio ac cesserit victoria his, qui censebant, mortuorum fratrum filios venire ad hereditatem cum patris debere. Deinceps Iura Magdeburgica, quo pertinet ita dictum Weichbildum Saxonicum, potius Magdeburgicum, vbique fere et in ipsa Misnia ac Thuringia inualuit, nec non in Polonia, Prussia, Bohe-

mia, Silesia et alibi. ILLUSTR. de LVDEWIG. in *Germ. Princ. Lib. III. c. 5. §. 8.* sicut et hodiernum consuetudines Saxonicae admodum variant, ex eo, quod pristinum Ius Saxonicum nunquam in vim legis sit publicatum. CONRING. de *Origin. Iur. Germ. C. 30.* Sed de Iure Saxonico hodierno, quatenus ab observantiis localibus discernitur, nullum est dubium, quin fratres in bonis allodialibus fratrum liberos excludant. *per supr. all. Constit. 18. Part. 3.* ad quem textum eo magis respiciendum, cum iam antea Elector cum reliquis Ducibus Saxoniae contra Legem Imperii protestatus fuerit, non quidem contra Edictum Norimbergense de anno 1521. sed contra ipsum Recessum Imperii Wormatiensem de eodem anno §. 40. cui iungendus §. 19. sicut accuratiores Icti Saxones dudum observarunt. Vid. MENCKEN. in *Syn. ff. Lib. 38. Tit. 17. de success. iur. noviss. §. 15.* licet dubia manserit sententia de fratrum liberis a fratribus excludendis usque ad tempora istius Constitutionis 18. P. 3. quod verba eiusdem initialia innuunt. Hoc satis certum est, quod in feudalibus fratrum liberi una cum fratribus admittantur de Iure Saxonico *per cit. text. Constit. 29. P. 3.* ubi discrete asseritur, hoc observari debere, etiamsi literis investiturae addita sit clausula: *Nach rechter Sippzahl*, hoc est: licet in allo-

allodiis ius repræsentationis non obtineat inter co-
 laterales. Sic quoque certissimum est in casu propo-
 sito ex feudo sub formula: *Erbguth*, fratrum liber-
 ros iure repræsentationis ex iure feudali gaudere.
 Sufficit enim sola ratio, quod eatenus a natura feu-
 dali non recesserint literæ inuestituræ, quibus tamen
 in mero allodio opus non fuisset, nec aliis requisiti-
 bus nec renouatione facta. Obstare quidem posset, quod
 dictum feudum quondam fuerit proprium et masculi-
 num, deinceps vero transmutatum in *Erbguth* et
 ita allodium ex opposito factum, nec non, admisi-
 sione, successio feudalis plenarie immutata, imo et
 ipsa dispositio testamentaria permessa, quæ alias in feu-
 dis incognita. *I. F. 8. in fin. princ. ibi: nulla ordinatio
 defuncti in feudo manente vel valente.* Cuius ratio in e-
 sita, quod Germani olim testamenta ignorauerint.
 Longobardi vero illorum instituta in multis seruaue-
 rint et retinuerint, non quidem in materie testame-
 ntaria tantum, sed et in præscriptionibus, non nisi
 triginta annorum decursum admittentes *2. F. 26. §.*
 præsertim vero in doctrina de fructibus ultimi anni
 ubi ius Romanum ad solam perceptionem, Germani
 vero præmium culturæ et curæ æquius obseruan-
 t. sicut Saxones, quando semen rastro subactum, equi-
 dent

dem 2. F. 28. calendas Martias pro termino decretorio fixas legimus, sed ratio est in promptu, quia tunc in Italia maxima cultura iam peracta. *Vid. ILLUSTR. DN. PRAES. in pecul. Dissert. de Prærogat. Dier. et Mens.*

§. XX.

Omnibus hisce dubiis facile obuiam iri potest, si primum fundamentum in se firmissimum retineamus, quod scilicet transmutatio feudi sit strictissimæ interpretationis nec ultra tenorem ulterius porrigenda. Non tantum literæ allegatæ clientelares, determinata saltem remissione naturalium, saluam ubique constituunt essentiam ipsius feudi per verba: *Jedoch, daß sie solche Güther*: sed et sorori ad singulares fratris preces concessa simultanea inuestitura rem feudalem infert, quippe qua non indignisset, si, plenaria feudi immutatione subsecuta, illa suo iure adspirasset ad successionem. Denique testamentaria dispositio, quoad feuda hereditaria in se quidem permessa, *ANTON. disp. 5. th. 8. lit. c. STRVV. S.I.F.c. 9. aph. 12.* Sed nec hæc singularis concessio excludit qualitatem rei feudalem ac iuris feudalis, circa ordinem succedendi, dispositionem, cui per pactum, non derogatæ, simpliciter standum, sensusque verborum ambiguus ita interpre-

tandus, vt naturæ rei ac iuri feudali omnino respon-
deat.

§. XXI.

Sententiæ
Iudiciorum.

Nec dubitarunt tam Scabini Lipsienses, quam
ICti Hallenses, causa ad ipsos ex compromisso liti-
gantium delata, eundem in modum pronuntiare. Li-
tem vero denuo resuscitatam Curia suprema prouoca-
tionum Dresdensis demum hac sententia definiuit
daß Beflagter C. A. B. Klägern C. G. B. und H. C. B.
die Helffte der Güther B. und N. mit Ein und Zu-
behörungen, samt denen erhobenen und von der
Kriegsbefestigung an zu erhebenden Früchten ab-
zutreten, davon behörige Rechnung abzulegen re-
schuldig. Additis præter alias his rationibus: &c.
da die Güther vorher Mann Lehn gewesen, in de-
nen Vererbungs und Lehn: Brieffen nur die Eigen-
schaft des Mann: Lehns entnommen, und sie zu
Erblehn gemachet worden, unter welcher Quali-
tät sie denen Besitzern, inmassen bey diesen und
andern Ritter: und Lehn: Güthern in Sächsischer
Landen Herkommens und Gewohnheit ist, verlie-
hen, und dieser Terminus Erblehn durchgehende
gebrauchet worden, daher nicht entgegen, daß auch
das Wort Erbguth gebrauchet, item: daß die Gü-
ther dafür geachtet und nach Erbgangs: Recht ver-
fál

fället seyn sollen, angesehen diese Worte und Termini promiscue gebraucht, und nach der Regula Iuris: Improprum in vno in reliquis proprium manet feudum, sie als Lehn, mit aufhabenden Ritter-Pferden zu verdienen sind, das Erbgangs-Recht auf Collaterales nicht zu erstrecken, welches die simultanea inuestitura, so feudi successionem denen Mitbelehnten ad exemplum successionis agnatorum permittiret, bestärcket,

ꝛc.

T A N T V M.



NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

ITa quidem rem TVAM et vitæ rationem comparasti
VIR CONSULTISSIME, ut literis com-
mendatitiis et conciliatricibus non indigeas, ita quoque, quam
TIBI reddo, dissertatio TVA inauguralis abunde te-
statur de TVA eruditione, et, qua haecenus usus fuerit
industria singulari. Attamen hoc non est prætermitten-
dum, ut publice patefiat, qualem TE in utroque exami-
ne præstiteris. Credebamus nimirum, nos videre advo-
catum, qui forte in primis steterit cancellis, sed paulo post
TE adeo theoretice et practice doctum reperiebamus, ut ve-
teranum nos vidisse testaremur. Ideoque plaudebant omnes
et annuebant viritim desiderio TVO admodum lauda-
bili. Restat igitur, ut finis coronet opus. Ego ver-
bos TIBI honores gratulor, nec minus PARENT
TVO VIRO CONSULTISSIMO ET CE-
LEBERRIMO, cuius vestigia in gradu honoris, do-
ctrina et foro ubique premis. Respondeat fortuna meritis
sic TIBI nihil deerit boni, nihil iucundi, in separata
quam instituis, familia. Id quod cum perennitura felicitate
ex animo foveo. Dabam e museo d. XXIX, Dec. CIO D CCXL.